



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et
Divortiis, Dissertationes Tres**

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. X. An patruo vel avunculo viduam filii ex sorore vel fratre; Item an viduo defunctæ uxoris materteram ducere fas sit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

Lev. xviii. 14. xx. 20. cum idem sit propinquitatis gradus, adeoque implicite & per consequentiam prohibitus, quemadmodum in similibus casibus visum est. Fac. Theolog. Jenensis apud *Dedek.* in *Append. ad Kol. 2. l. 3. Sect. 2. Tit. 3. p. 835.* easdem illicitas pronuntiavit. *Quaestio decima*, An patruo vel avunculo viduam filii ex sorore vel fratre; item an viduo defunctae uxoris materteram ducere fas sit? Respond. Neg. ex collatione locorum Lev. xviii. 13. 14. & Gen. ii. 24. cum patruus fratris filio, qui cum uxore sua in unam carnem coalescit, sit loco patris. Reverentia igitur, pudor & honestas ab illis nuptiis abstinere suadent. Accedit, quod uxoris consanguinei etiam sint mei; Sive liberi supersint ex primo conjugio, sive non. Vide *Brouw. de Connub. Lib. 11. c. xv. §. 7. 8.*

XXIII. *Quaestio xi.* An patru defuncti uxorem ductam retinere liceat? *Huld. Zwinglius b. m. in Epist. ad fratres dilectos*, ad quaestionem hanc, placet, inquit, ejus fratris sententia, qui legem intelligit, *vivo patruo non retinenda esse verenda uxoris ejus.* Quam tamen deinde corrigit hisce verbis: Sed occurrit hoc inexplicabile, quod lex de non tangenda uxore fratris hanc interpretationem legis non admittat; nam alias notum est, quod vivente fratre vel patruo, non licebat ejus uxorem attingere propter adulterium. Patet enim, quod *lex huc tendit, ut mortuo fratre aut patruo non liceat ejus uxorem attingere.* Ad hoc dicimus, nobis omnino videri, hanc esse sententiam legis. Deinde subnectit: *Recte autem videmini censuisse, dum per charitatem nepoti patru defuncti uxorem pronuntiastis non esse adimendam.* Ita optime judicavit beatus Zwinglius. Quemadmodum Mosem matrimonia nonnulla vetita, de facto contracta, non dissolvit, sed poenam duntaxat addidit, legimus Lev. xx. 20. 21. Idemque Abrahami, Jacobi, aliorumque comprobant exempla. Neque Nathan dissolvi jussit matrimonium Davidis cum Bathseba. Quod tamen ad omnes gradus, cum primis ad ascendentes & descendentes in linea recta, non esse extendendum, poena ejusmodi transgressoribus indicta abunde docet Lev. xx. In similibus igitur exemplis idem erit sentiendum.

XXIV. *Quaestio xii.* An ab avunculi uxore abstinendum? Resp. Affirm. Siquidem tale matrimonium haud obscure prohibitum Lev. xviii. 13. 14. Cum avunculi & patru uxor in pari gradu

I
fint